

lius, ut subito de singulis possint sententiis apte scribere, ideo singulis Tetrabiblion illud, de quo supra, ediscendum, ut id præstare possint.

Nullus porro ludus est aut academia publica (quod de nostris Scriptoribus aliqui asseruere) cujus Magistri hos sibi libros susceperint exponendos, sed quisque Præceptorem sibi pro arbitratu deligit, à quo domi suæ suoque sumptu instruatur. Horum porro domesticorum Ludimagistrorum ingens est multitudo, tum quod ab uno plures, characterum Sinensium vitio, vix possint erudiri, tum maxime quod in more positum sit, ut dixi, quemque domi suæ filiorum duntaxat ludum aperire, tametsi unus alterve numeretur; ideo credo, ne aliorum commercio à studendi contentione avertantur.

In hac scientia tres literarum gradus iis, qui ex eorum numero